3655

4072 [illegible]

[illegible] 4072

EPITHALAMIUM

Illustris & Magnifici Domini,

D. ALEXANDRI

NICOLAI

DE STEMBERK

KOSTKA

S. R. M. AULICI CUBICULARII:

NEC NON

Illustris & Magnificæ Dominæ,

D. SOPHIÆ THERESIÆ

DE PRZYIMA

PRZYIEMSKA

Illustrissimi ac Magnifici Domini

D. Albrachti De Przyima Przyiemski Castellani

Gnesnensis Filiæ &c.

PER

A. R. N. C. P. pro solenni Nuptiarum festiuitate.

Obsequiosæ Gratulationis ergò

EXHIBITUM

Anno Domini M. DC XL. II.

POSNANIÆ,

IN ARMA

Illustris & Magnifici Domini D. Alexandri Nicolai de Stemberk Kostka S. R. M. Aulici Cubicularij &c.



BEllerophontæam soleam, qui cernis & Alam
Gorgoneâm, numquid stemmata tanta stupes!
Tolle magis mentem, magis inde stupebis ; in hoste,
Vngula bella, cruces : Ala refert meritum.
Bella velis ? quando maduisse cruore licebat
Pro patriâ, gentem hanc bella adysse scias.
Nomina de Rostkow primæuâ ab origine namque
Heroes isti, marte petita legunt.
Iamq; cruces velis? exemplo sit Kostka beatus,
Qui cruce nouit adhuc monstra domare puer.
Hæc crucibus munita domus formidabilis hosti est,
Singula bella cadunt vi superata crucis.
Iamq; velis meritum ? numera per Auos, Atauosuè
Quos manet æuigenæ posteritatis honos.
Plura velis! quà est ductus ad æthera Pegasus ala
Hac stirps se in meritis tollit in astra suis.
Plura audi; soleæ, crucibus, coniungitur alæ
Virgo, vrsusq; duplex : tot bona nectit hymen!
Nempè vt nexa vlmo uitis maiore virescit
Fructu : ita stirps nexu hoc plus dabit aucta boni.

IN STEMMA

Illustris & Magnificæ Dominæ,
D. Sophiæ Theresiæ de Przyimâ Przyiemska,
Illustrissimi & Magnifici Domini D. Albrachti de Przyimâ Przyiemski Castellani Gnesnensis Filiæ,
sponsæ lectissimæ &c. &c.



IN labyrinthæis quod sæuam occiderit antris,
Pasiphäe sobolem Theseus arte tuam.
Theseus hinc mundum æternâ virtute coronat,
Dicit ab hoc victas posthuma fama feras.
Virgo vrsos nouit, diros prosternere & hostes,
Consilijs faciens tuta duella suis.
Inde suæ genti, vt fortes Bellona Camillos
Ex Ariadnæo sydere nata; creat.
Inde Palatinos humeris vectura curules
Laude vigens gessit, tùm valitura geret.
Latius hinc illi quô sarmata steterit usq;,
Solque polos obeat: fama loquetur Io.
Hinc illi melior seruatur in axe supernô
Gestorum ê meritis facta corolla suis.
Thesea seruârit si quondam Ariadna Virago
Numquid in adversis porriget illa manus?
Porrigit expansas bone sponse accurre, fideles
Dulce manus spondent pignus amicitiæ.
Sponsa præit tua tantùm alias in laude, in honore,
Sponse alios quantùm stirpe, decore, præis.

Natura hac periodo machinata est, seu potiùs primus ille & Maximus Deus fecit, vt honorabile Coniugium opem sibi mutuo ferat, Vir fortunarum ac sacrorum socius, domus sit Dominus; mulier custos & administratrix, velut columna aurea super bases argenteas: non auri, non diuitiarum tantæ sunt excellentiæ, quanta viri boni, & piæ mulieris excellentia est, concors conjunctio, &c.

Euripides apud Clementem lib. 3. Pædagogiæ.

AD
ILLVSTREM AC MAGNIFICVM DOMINVM, DOMINVM
ALEXANDRVM NICOLAVM DE STEMBERK KOSTKA
S. R. M. Aulicum Cubicularium:

nec non ad

ILLVSTREM AC MAGNIFICAM DOMINAM DOMINAM
SOPHIAM THERESIAM DE PRZYIMA PRZYIEMSKA,
Felices coniuges.

PROPHASIS.

Qui sim, cur vultus ausimq́, accedere vestros,
Si me, connubium nobile, fortè stupes?
Effabor paucis : ego proximus accola Varthæ
Promit vbi fluuios, Posna meantis aquæ.
Transieram dum nuper, nec non littora oberrans,
Exigeram tacitis plurima quæq́, modis,
Concitus à tergo commouerat æthera clamor,
Lætitiæ clamor gaudia iusta ferens.
Respexi, mecum reputans quid talia ferrent:
Mens turbata fuit, tanta at adacta sequi est.

Insequor, attonitâ vocum dulcedine captus,
In partes verti lumen vtrumq; meum.
Inde nouem Nymphas redimitas syrmate; Ductor
Nescio quis, faciem constitit ante meam.
Os humerosquè DEo similis, cultumq; nitentem
Crediderim similem posse decere IOVEM.
Huic roseo viridis vernabat in ore Iuventus,
Ornârant pexas mollia serta comas.
Alcidem Paphio peperit sub vertice quondam
Ipsa Venus talem, qualis & iste fuit.
Cinctus enim pharetris, volitando per aëra, latè
Ad me deproperans insidiosus, ait.
Ferreus est quem non delectant gaudia nostra,
Ferreus haud fuerit quem mea tela petent.
Scio meis iaculis ego dura infringere corda,
Devinco magnos paruus amore viros.
Obstupui, cohibens tacito miranda stupore,
Audivi comites huius & ista loqui.
Audiui Nymphas, inquam, resonare hymenæos,
Cæperunt hymen dicere, semper hymen;
Quæro quid hoc? dicunt est res gratissima nobis:
Tu modo dic hymen, tu quoq; gratus eris.
Sic ubi me tantò stimularint flamine Nymphæ,
Narrantes thalamos, exagitando faces.
Illustres thalamos, duo quorum fœdere in vno,
Iunguntur gentis lumina Sarmaticæ.
Illustresq; faces quarum firmissimus ardor,
Vnit honore duas, vnit amore domos.
Promptus in obsequium Vârthæ salientis ad vndas,
Nympharum cæpi solicitare choros.
Nunc mihi nunc dixi grauior consurgit honorum
Materies, vestram suppeditate chelym.
Accipe dixerunt meditatum â Pallade carmen,
Offer cuniugio, dic opus esse DEæ.
Nec dubites vinces multorum munera vatum
Aurea, non Vates sis licet ipse ferens.
Adfero; vos quorum lætas præsentia tædas
Efficit, ac fausto ditat honore torum.
Sumite deductas vos in noua gaudia chordas,
Haudq; meum versum despicitote rudem.
Sumito Sponse inter Sponsos lectissime carmen,
Quod mihi Pegasidum turba Novenna dedit.
Sumito Sponsa inter Sponsas lectissima carmen,
Quod mihi de Nymphis Varthea turba dedit.

HYMENÆVS

QVi ſubeant cultos thalamos, quo carmine tædas
Excipere Heroum, quantasquè adiungere pompas
Conueniat; quæ geſta manent, quod nomen honorum
Sit proavo, atquè atauo, quæ fama nepotibus ipſis:
Iam canere incipio. Docta pro Pallade diua,
Inſtrue ſola lyram, fontes vatumquè miniſtra
Calliope; longo nimiùm nec tempore differ.
Phæbe tace, veteres leges certare lubentes
Pro tædis, ſpretas nec non pro coniuge Nymphas,
Quæſitosq; procis thalamos diſcrimine lethi:
Non nobis horum ter trino pollice chordas
Pulſet ebur, mutanda nouo ſunt barbita Phæbo,
Fasùe toros alios, alias accedere gentes.
Non ego Scipiadas, Fabios, non mænia Thebis,
Mænia Septenis Regum non pervia caſtris,
Quæ ſtruxiſſe ferunt animantem Amphiona cantu;
Non Lagidas, Non Cecropidas, non geſta Titorum,
Fabricios què meâ claros parnaſſide dicam:
Koſtkalidum, Przijiemſciadûm prætexere verſu
Connubium, & majore reuinctas fœdere dextras
Aggredior. Cui ſunt ô tu DEus Hymena curæ,
Lætus hymen, Hymenæe hymen. Hymenæe faueto,
Pegaſidum de fonte bibam tunc carmina mille,
Mille fluent verſus, pauidis adlabere cæptis.
Tuquè adèo diuorum aulæ ſacer Aulice Koſtka
Staneſiláe, tuæ ſtirpi deponere conor
Obſequium, tua ſarmaticis heroa ſub oris
Nomina, depropero venerari poplite poſtquàm
Supplice; fortunare tuo digneris honori
Agreſtiq; meo precor, ô ſpes magna, labori
Sint faciles aditus, ſic per te aſſueſce vocari,
Sydereo placatum numen in æthere Diuûm,

Sydereo Tutelaris ſuper æthere Cultor,
Sic fer opem, intentiquè ſitim felicibus exple
Auſpicijs, ſuperûm nitidæ quem maximus aulæ
Regnator cœli penetralibus indidit altis.
Fortè diem niueis lux rectè enixa quadrigis,
Vexerat optatas depletâ lampade tædas,
Tunc, cùm Varthifluæ conjunx Vulcania ripæ
Affulgens, defeſſa ſuam per membra quietem
Carpebat: circumquè cohors pharetrata ſonanti
Littore ludebat, ſubitis què per aëra pennis
Certarunt alij, volucrem emisêre ſagittam
Arcubus atq; alij, gracili qui ignobile vulgus
Arte ferire ſolent, Nympharum animoſa propago;
Vnus at aurato cui ſtat ſub tegmine Chlæna,
Purpureusquè rubor faciem, cultumuè ſubornat
Corporis obrizum radians, cui lactea colla
Affulgent auro, fulgent garamantide gemmâ
Aures, igniuomiq; micant ex fronte Pyropi,
Ille micans, inquam, fulgenti arcuq; ſuperbus
Succiduo ſaltu ſublatus in aëra, gyros
Efficit obliquos, cunctos his vocibus vltrò
Compellans: ſocij chari, charæq; ſorores?
Blandus hymen, tum blandus amor, ſolenne trophæum
Extulit, & thalamos noſter miratus Apollo
Exornare jubet, jam tota cohors Helicone relicto,
Iuit in obſequium, mecum attractate cothurnos;
Koſtkalidæ generoſa datur Przyiemſcia Virgo,
Magnificus Przyiemſcianæ fit Koſtka maritus:
Ille etiam noſtræ præluxit in ordine pubis,
Illa etiam noſtræ flos eſt ex ordine pubis,
Hic manſueta pius curârum munera obibat,
Hæc manſueta pijs tractabat munerâ curis,
In Lædæâ noſtrûm cultor vterque palæſtra;
Blandula vos igitur properate ad gaudia mecum.
Ludite Varthigenæ nova gaudia, ludite Nymphæ,

Si decus

Si decus, & lucem claræ probitatis, & almas
Ingenij dotes, teneræ ac cunabula vitæ,
Quis spectare volet, genus, aut quæ copia laudum
Exornet patrios ferro quæsita penates,
Qui tituli? seu quæ magnarum gloria rerum?
Obtutum rapient famosis cuncta triumphis.
Si maiorum enses toties ex cæde cruentos,
In causa patriæ, libertatisque tuendæ,
Aut quod si extensa nomen virtute paratum
Scire libet; reticere venit de stirpe profectum
Heroum nusquam satis enerrabile nomen:
Quod tantùm extendunt in famam laudis avitam,
Quantùm Aquila attolit se pennis ardua cœlo.
Nil moror, an ne tuam non cassa in vota vocatam
Gentem, quæ proauis non degener inclyta floret,
Sponse tacebo â clarâ martis origine ductam?
Sit mihi fas tua gesta loqui, nam pace reductâ,
Tu licet exarmes Lechos fortissime miles,
Martia quos proavorum virtus seruat ab hoste;
Es armatus adhuc? animo cui insedit anhelo
Kostkalidùm vetus ille gravi in certamine mauors,
Prisca fides, probitas, quem vestra experta sagitta est,
Per proauos, atauos, inimico infixa lacerto.
Nam veluti rupis præceps de vertice saxum,
Cùm ruit auulsum, nymbo quod defluus imber
Rumpit,, & annorum frangit diuturna vetustas:
Fertur in abruptum rupes crepulo improba tactu,
Exultatque solo, syluas, armenta, virosuè
Inuoluens secum: sic fusa per agmina miles
Iaczvingvs, postquàm Lechis infensus atroxque
Hostis, in arma ruens certatim inuaserat oras
Sarmaticas, densisque fuit Mazouia turmis
Consternata, salus pressit luctu Oppida Przasnis,
Ac conuersa manens inimica in prælia, plenos
Spe lusit peditum, atque equitum sæuo agmine campos:

Strenuus hic medias acies audace ruentes
Pectore, non mortem, non vulnus triste pauescens,
Ad decus, & pacem cum libertate tuendam,
Pribyslaus adijens primæuâ ab origine primus
Kostkalidûm generosæ gentis, in arma Dynastas
Inuocat audaces animo, simul incipit atque,
Intêr eos celso medius stans aggere fari.
Heu mihi ? quid tanto turbatur Sarmata ab hoste,
Quæ nostras vulgatur luctus fama per oras ?
Hostis adest, justa sine causâ bella mouentur.
Causam hodie Proceres, mæstum belliquc furorem
Eruam, & hostiles acies ludibria nostris
Efficiam crudeli cæde rubentia in agris,
Quæcunque est, fortuna mea est; me saucius vnum
Pro patriâ luere, & ferro decernere præstat,
Morte pati quod dura dabit fortuna, morabor
Nil conferre manus, patiar sed quicquid acerbi est:
Qualibus edictis mox se concredidit armis,
Per que hostes, per tela, per obuia fata volanti
Accurrunt Proceres, hic primus tentat arenam,
Non secus ac veluti Boreæ cum spiritus alto
Aegæo resonat, sequitur que in littora fluctus,
Quâ venti incubuere, fugam dant nubila cælo;
IACZVINGORVM huic quanta fremens secat agmina cedũt,
Dantque fugam. Incumbente igitur discrimine rerum,
Seruârit patriam quod amans, probitate fideque,
Pribyslaus ab hoste refert monumenta trophæi;
Pro galeâ, clypeo, â patriâ fert stemmata stirpi
Nata : Palatino regni dotatus honore.
Qualia abinde creet patrio gens fulcra penati,
Quàm gratos habeatque in præmia larga nepotes,
Quos omnes amor vnus habet pugnare lubentes
Pro patriâ, quibus impauidi vaga sydera Martis,
Armisonos animos, bellis inuisaque corda
Contulerunt, diuûm imposuêre ac nomen abarmis,

Per

Per-ſimiles atauis; taceo. Tu CVLMA Polonas
Inter honore decora vrbes experta fuiſti
Hoc genus antiquum, cuius tibi cognita virtus,
O quoties fatêare tuo benè ceſſit honori?
Siue etenim dicas Mitrâquê, Pedoque coruſcos
Myſtas, Præſuleis pulchrè fulſiſſe Tiaris
Auguſtâ grauitate tuis, quos monſtra nefandæ
Hæreſis ad nigras ſtygiæ fuliginis vmbras
Sacrificá pietate timent proſcripta: Dynaſtes
Imperio frænare malos, cui magna poteſtas
Cædibus in luxu tumidaſque fugare Mephites,
Non ne tibi affulſit defenſor amænus, aceruè
Ingenio, plenusuè ſagaci lumine KOSTKA
PETRVS? Apoſtolici firmiſſima petra manipli.
Siue viros dicas felicia regna fideles
Qui tua CVLMA, ſub aduerſis rebusque ſecundis,
Conſilio, atque animi decorarint viribus altis
STANESILAVS erit ~~laudatum~~, (SVCCAMERARIVS ille)
Koſtka tuum Decus? hunc nusquam reticere fidelem
Annales poterunt, nusquam felicius ullum
Imperitaſſe flagranti tam regimine dices.
Siue Palatinos numeres, feralibus vrnis
Exime Ioannem, viuacibus ardua virtus
Quem colit officijs Koſtkarum è ſanguine cretum.
Huic flexura caput debes parere libentèr
Culma, tuo ſæclo iam declinante leuatus
Ad veterum decus heroum fac laude feratur,
Ipſa tua hoc pietas ex te, hoc hortatur amorque,
Ad noſtra vt veniat noſtris propriora diebus
Lumina, quem æther habet tranquillá pace fruentem.
Prætereo plures, noſtri nihil oris egentes,
Koſtkalidas, adverto ſolùm heroibus ortum
Eſſe nefas omittere Koſtkám gentis ejusdem
Ioannem celebri hoc de nomine iamque ſecundum,
Quem (viguit quantis) Tu Sendomiria factis,

Ipsa Palatinum, ipsa tuum tot conscia honorum,
Candidatum priscis Lechorum annalibus inter
Auricomos reges memora, sit cognitus omni,
Accitus merito, Procerum & voto, ordini in ampla
Regna Polonorum Regum viduata relecto.
Hic ille Alcides, illa hæc tùm maxima gentis
Gloria Sarmaticæ, & magni pars ampla Senatus:
Robur in hoc etenim, tum audacia corda referre,
Pacis & armorum studium, solers & acutæ
Consilium mentis, magnarum iniuria magna
Virtutum fuerit; Quærat quem evoluere priscos
Non piget annales, quantùm non inclytus Heros
Hic alios anteire Atauos, ac surgere in horas
Cernitur, antiquos animoque æquasse Latinos
Qui Romam eximijs exornauêre htropæis,
Viuit in hoc Cocles, viuit Cato, viuit & Hector
Solus Alexandrum pœnum qui posset acutis
Vincere consilijs & viribus Hectora firmis.
Non hujus memoro patrio de stemmate fratrem
Christophorum, taceo trino cognomine Kostkam
Ioannem, solita famâ super ærhera natos
Quippe licet se dissimulent, nec honore superbi
Stirpis in alta suæ veniant præconia laudum
Ille Palatina, hic Castellana in clyta facta
Stabit adusque orbis, nullo labantia fato.
Immorituræ inserta legent duo lumina famæ?
Quæ gestis alias antē Heroum præconcita cursu,
Felix currit in Antiqua & nova Sæcla suorum.
Non hic Præsuleas plures revocabo curules,
Non plures iam iam gentis memorabo Dynastas,
Tales quippè graves tranquillâ in pace Quirites
Magnificos vidère Numas, pietate regentes
Romanos rerum Dominos, populumque Togatum:
Quales si memorem Kostkas vel sanguine Kostkis
Obstrictos memorare licet cognatâ ab origine plures.

In

In causâ genus est: cognatos sanguine ab unô
Tot numero, numero proles quot ab Alite Phæbi.
Tarnouios, Sieniauiadas felicibus armis
Et famâ insignes, æquo hisque decore nitentes
Chmielecios, Sieniesciadas, Ociesciadasque,
Wolsciadas, Iazlouicios, septem Herculis ætas
Has stirpes stupuit domui renitere paternæ;
Vt liquido stellas septenâ Plaiade cælo,
Romulidasque velut vidit, queîs (littora tanquàm)
Imperium Lechi sub pace potente tuetur.
Prætereo astrictos istis Heroibus, & vos
Rozdrazouiadas Lybicos Regni huius Achilles.
Vos & Opalinios, decus immortale Polonis,
Quo dûm Phæbus obit perlustrans lumine terras,
Iudice vel mundo non clarius aspicit vllum.
Hinc me dum innumeros prætendo stirpis Orestes,
Mens revocat cæpti iam penè oblita laboris
Ad Diuos: veniens tu diue ab origine gentis
Kostka, tuum genus ipse satus quo es sanguine profer,
Centum Oratores augustâ Pallade plenŋ;
Vbertas omni græco quæ præsidet orbi,
Et quæ olim Latijs decreta est gloria linguæ:
Cuncta tuæ svadæ iam sunt subjecta loquendi.
Alloquere ex cælis facundo nectaris ore,
Incola quo in terris tetricos recreare, feroces
Vel animos poteras, vel flectere saxa.
Alloquere Aligeros, rutilo ipsum & ab axe Tonantem.
Qui lapsos poteras mellitâ educere voce
Cumque illis blandum eloquij decidere lusum.
Dic? qui proficuas de pingui episimate dotes
Accumulat? laribus vestris quæ est dedita fama,
Qui pater, vnde domo, pacem ne hinc fertis an arma?
Quæ cornu Cyprio fulget fortuna, precamur
Prodeat in lucem nullis abolenda diebus

Indiga non laudis, nulli à nullâ inuida ſorti.
Ecquis enim dubitet genus hoc ſuccedere vobis ?
Iam bene de terris, charâ patriâque mereri:
Iam niſum ad laudem duro imperterrita cliuo
Nomina prendentes Tigeos generare Dynaſtas?
Non gazæ fructus memoro, monumenta petuntur,
Vitæ & factorum promam ſimulachra tuorum.
Pauit apum cætus collecto melle Platonem,
In cunis recubo vetuit cui Thuſcus aruſpex
Fortunate puer ſonus infit melleus olim
Ibit ab ore tuo, vinces hoc Orphea : tantùm aſt
Quid tibi blandiris de nomine & omine mellis
Parue Plato ? Aligerum legio de ſydere lapſa,
O gracilem toties Diuino nectare Koſtkam
Si pauit, quis erit mel cuius in ore Deorum?
Vix hunc vidit humus, patulus vix vidit & orbis,
Iam pietate Deum, Diuos, Matremque Tonantis,
Ad ſua vota vocans in eum deduxit amorem,
Vt veneranda parens ſacro redimita nitore,
In pia lactantem porrexerit oſcula gnatum,
Koſtuleo IESVM gremio oblatura puellum.
Quem modo demulcens manuum poppyſmate crebro,
Colliſisque genis modo dulcem amplexus IESVM
Molliculos puer à puero libauit amores.
Sic ſemel, vt tactus diuino ſpiritus æſtu,
Iuniperus veluti nunquam cedrata ſenilem
Vel patitur cariem, tineas vel ſentit inertes,
Koſtkæ ne imbutus volucer quoque ſpiritus almi
Succo animus, labem petulantis ſentiat orbis:
Culparum grauium tineis obnoxius vllis.
Vixit! at incertum fuerit; num has inter opimas
Delicias mundi humano ſub corpore clauſus
Vixerit: abſtractus num vero à corpore ſanctus.
Sed prius Herculei Titanea ſydera monſtri
Proxima ſolſtitio Domus edita, tum loca olympi,
Diffune

Diffundent terris hyemes glacialibus Euris
Ac ego Kostkalidæ enumerem pia stamina vitæ;
Differimus: saltem aut veniâ patiente morabor
Vos fratres geminos viuax Patriæ in crementum,
Post Patris & Patrui mortem, duo pignora gentis:
Vos quis non videat ferri in vestigia laudis
Magnificæ? quorum virtus menti alta resedit,
Multus honorq; animo, patrijs successibus ætas
Culta, præire suis cum cæpit moribus annos.
Vt, licet ex amplo primordia candida nisu
Sumatis; maiore tamen splendore ferantur
Stemmata, conspicuos per vos progressa Nepotes.
Non taceo fortes Belgas, nec Iberica regna,
Non Francos, non Italiæ, non Theutonis oras,
Quas stimulo ardenti tantæ virtutis adistis,
Spectantes acies didicistis prælia inire,
Vt si quando instarent aspera fata Polono.
Vnanimes crudos subeatis, eatis in hostes,
Præmiferi & tandem spolijs redeatis onusti.
Sic vos lauta manent sic præmia lauti & honores,
Conferet hos vobis Rex optimus; offeret inde
Imo Quirinales fasces magnumque senatum

Et tu Sponse quidem in tantis pulcerrime donis,
Cuius in ingenio robur, prudentia factis,
Qua super ætatem vigilantibus, ardua curis
Expedis, arguto decernens singula sensu.
Dum potes armato sectari pallada campo,
Si Placido velles inflectere pectora motu
Dum potes, vltro fores cui non optabilis inde?
Iam digno generosa tuo iungenda marito
Sponsula crede auspicijs; optabilis omni
Sponsus adest, tibi nec non hic optabilis ipsi,
Vir tibi nobilitas major, potiorq; priori
Conditio virtute iuuat non sanguine niti.

 Quam

Quam domus egregiá pietáte insignia serues,
Splendores animi, Diuinaque dona nitore
Quanta tuo quem candor habet, contecta serenant;
Quis capiet ? qua vel virtute est Sponsa venustans?
Inspice siue genas Sponse, est pudibunda puella.
Cessa venustantis species est frontis, amæno
Cuius in ore vigor, viridisque ardore iuuentæ
Maturi grauitas æui firmatur, & ætas
Cana suis prodit seros insignibus annos..
Inspice seu robur mentis, generosa Juditha est.
Est constans animo, rapido non flectitur æstu:
Non ætate labat, fæcundat mente sagaci.
Inspice clementem aut animum, est placabilis Esther,
Non tristes inflans animos humor æstuat illi.
Sed velut amplifico formosa vireta colore,
Annua cum referunt, redeuntia gaudia Tempe,
In noua corripiunt faciles miracula mentes,
Dum producit humus fæcundum Dædula gramen.
Pandit Amyclides oculis titubantibus Hyblas:
Sponsa suo talis virtutum est splendida luxu.
Inspice seu Patrum titulos Przyiemscia nata est,
More patrum præstans hæc spes est maxima genti.
Inspice stirpis Auos, Proauos, Atauos, Abauosq;
Illa Palatino circumuallata senatu,
Illa suis meritis trabeas ductura Curules
Stirps creat Heroes celebres : Heroibus ortos
Tot, Scythicas Lybiæ generant quot flumina gemmas

Vos ego sydereæ vicina Erymantidos Vrsæ
Pergama Sarmaticæ terræ CALISIA testor.
Albertos grauitate graues, dociliq; serenos
Dexteritate Palatinos, vidistis et acres
Arbitrijs Przyiemsciadûm de sanguine gnatos
Qui vobis viuunt, numerosa in laudeq; florent,
Prudens vt Salomon, non infima lux vt Horati:
Quos

Quos (rarum vt decus ast eo pulchrius) orbis adorat.
Cur sileam Raphäel tua Castellana relata
In sobolem suggesta tuam? iactabit Aletham
Troia suum, Przyiemsciadas Lancicia iactet.
Vosque Stanislaôs duo sydera stirpis eadem,
Quos habet innumeræ spacium virtutis, egone
Metiar? eximius Macedo quidcunq; decoris
Nactus, & ingenio qnidcunque Lycurgus honoris,
Quicquid splendoris peperit Bellona Philippo;
(Fortunati ambo) in vos hæc fastigia, laudum
In vestrum genus hæc eademque trophæa redundant.
Laudet Alexandrum sua gens crudelibus armis
Sub iuga tracta, ducem belli, regnique Monarcham:
Posna tuum Przyiemscianum de stirpe supremum
Qui miti possessa manu tua regna gubernat,
Laudibus, encomio, magnum virtutibus effer;
Lux generi, iudex causis, Patriæque Senator
Floreat, huic similem nunquam memorabis Alumnum.
Quin repetam præconia vis Stanislâe secunde
Nomine, re potius geminæ virtutis imago.
Nunc repeto; Stephane armipotens, auguste potensuè
Marte, Polonorum vos diui ignoscite Reges,
In mea quam de vrnis vestalibus eximo vota
Ferte fidem: Przyiemsciadum Mauortius Heros
Qua virtute fidem, quali probitateque dextras
Præstitit in Moschos susceptâ Martis arenâ.
Scilicet huic probitas, victoria, prisca fidesque,
In quantum cessit; patriam victore potitam
Victorem referentem audite ô mentibus æquis.
Te tandem mea quem spatijs prioribus ætas
Viderat arma inter, gladios interque furentem,
Contigit vt videam spolijs hostilibus auctum!
Sic ne meis per te quæsita est gloria rebus?
Quæ tibi digna viro celebri pro talibus ausis
Præmia posse rear solui? dent cælica primum
Dij: Proceres regni, Diuus tùm cætera reddet

Rex Stephanus, Rex cætera reddet & integer æui
Augustus, meriti tanti non immemor vsquam.
Tu pater at Sponsæ in tantâ hæc si sorte serenat
Sufficiens quis erit virtutum præco tuarum?
Nobilitas mentis, Decor, Excellentia, robur
Iudicij solers, grauis & prudentia rerum.
Inte cuncta tuo toties exercita fulgent
Ingenio, est bonitas animo, candorq; benignus,
Non alto simulata gradu, non imbroba gestu,
Ast clara innatisque tuis virtutibus ampla
Est tibi strenuitas: patriæ tùm cura Salutis.
Scis leges patruas defendere, scisque tueri
Acta fideliter in dubijs agitata procellis:
Iustitiæ fortis, tùm recti est arbiter æquus,
Si verò aut opus est æquo, scis nullius vsquam
Inflecti suasu, at verum præponere honestum,
Posset ab incæpto reuocari Cynthia cursu
Credo prius, quam tũ diuelli iustus ab æquo.
Hinc gratus sis quantùm munia publica norunt,
Rostra sciunt, quàm mirifico comitia honore
Nuntius expedias, obeasque in laude stupendus.
Verum aliud vobis quid vestra in stemmate virgo
Contulit? Astræam hanc reor in subsellia natam,
Inque malos duram, inque bonos pro sorte benignam.
Prodam equidẽ: Phrygiâ hanc cognomine dixero matrẽ·
Sustinet hæc humeris orbem Berecynthia, cuius
Turritum Dominæ currum subiere leones,
Dente auido domiti spumantia fræna prementes,
Iustitiæ, pænæ, est scelerum hæc Rhamnusia vindex,
Innuit imperium vlto fræna iugo concordia ferre.
Vestra triumphatrix, virgo domitrixque ferarum,
Vrsis nunquid ouat vexillis tumque potita,
Explicat illa manus faciles, operumque ministras,
Auxilium latura & opem misero obuiat omni,
Promptus amor, vigil huic est tum quoq; cura suorum,
Integritas simul, atque animus quæsitor honesti

Proui-

Prouida sollicitis semper tutela salusque,
Anchora quod nautis: hæc dum Respublica pressa
Fluctuat, innumerisque agitur circumicta procellis
Optima spes patriæ, populo est: illa illa senatus
Vindex, illa fori, legum, ritusq; togæq;.
Prodam vltro? nihil est cur quis miretur adactos
Quod virgo bonitate, iugali in fædere nectat
Et Grudzinsciadas, & Opalinios sibi in vnum.
Hi sunt à magnis, magnis Heroibus orta hæc,
Hi faciles, placidi; placida hæc, tùm virgo benigna est,
Viribus hi præstant, pollent & acumine mentis,
Si linguam causis acuis, si Ciuica iura,
Respondere paras, reperis fandique peritos.
Sunt vires huic, multarum ac industria rerum,
Æacidæ validis est illa potentior armis,
Mens animo, manus atq; habili coniungitur Ensi,
Consilium auxilio, tibi non sit copula mira hæc:
Sic hos nobilitas, generosaque nomina tangunt
Sic hos vnus honor, sic vnus nectit amorque.
Porrige virgo manus per mutua vincla, Adamante
Astringe Heroes tibi, sint hi, cuncti Adamantes
Æreus absque his est regni, cum his aureus orbis,
Aurea sæcla fluunt in laude nitentia eorum.
Siue Senatorum sanctos spectabis honores,
Siue Palatinos per fortia gesta maniplos,
Siue voles Patriam hos feliciter imperitantes
Arsacidas vincunt, Decios splendoribus æquant
Stirpis abundanter clarâ virtute corusci.
Sic gnatam Illustri genero, dignisque hymenæis,
Da socer, & stirpes æterno fædere junge:
Nuptam habeat nuptus se dignam, nupta maritum.
Clarus in obsequium specioso lumine Titan
Prodit, & aurifero cæli splendore serenant,
Lætitiâ exundant ac sese hortantur Apollo,
Nymphæq;, vnanimes statuunt cultũ intra tecta paratum
Blandus amor, pietas, prudentia, paxq; Dearum

Hæc quæque officij pridem benè conſcia; promptim
Effundunt gracili conuiuia pinguia luxu.
Exornat Sponſam primum concordia, pulchra
Veſte data à Sponſo, baccato tumque monili,
Murice, & obrizo rutilans vt fulgeat auro,
Concordesque ingenti animo depromat amores.
Deinde laboratas quæ dant ſpectacula gemmas
Imponit digitis pietas, incenditur auro
Sponſus, & inflexo flagrantia ſerta coruſcis
Floribus à Sponsâ intertexta ferens capiti aptat,
Sit pius vt concorsque animo: prudentia tandem
Iam dapibus menſas reficit, iam pocula miſcet,
Aſſueſcant vt, aget ſi quid fortuna ſiniſtri,
Siue bona aduenie t, ſint æmula ſtamina vitæ,
Hinc Paranymphus amor, ſtrato diſcumbere in oſtro,
Delicijs iubet, & dapibus ſe inferre, per annos
Connubio veniet quæ larga futuros
Sors, dat aquas manibus, ſemoto ac munere fatur
Stans inter matrum innumeras nuruumq; cateruas,
O Fortunati thalami multumque beati!
Illa ego ſum cui poſteritas, ventura ſenectæ
Tempora diſpenſanda dedit, mihi tanta poteſtas,
Nempè ſerenata vt vultu fortuna benigno,
Vos, tædas hilaresque Hymenæus inornent,
Viuere iucundum faciant tum ſuauitèr æuum
Largior: alma Thetis, vos ruſtica numina Fauni
Suppeditate vagos lepores, capreasque ſequaces;
Alituum pecudumque genus, ceruosque fugaces,
Da caſtas hymenæe faces, lege Gratia flores,
Floribus electis concordia necte corollas;
Cingite Varthigenæ ſponſis his tempora Nymphæ:
Dicite Varthigenæ mea gaudia dicite Nymphæ
Amplifici creſcant nupti, vigeantque perennes
Pinus vt aſſurgens ſuper aëra creſcit in annos,
De lumbis horum velut exoriuntur oliuæ
Koſtkalidæ parui; materno ê ſanguine creti
Sic Przyiemſciani naſcantur tùmque Nepotes.

ARBOR NVPTIALIS.

nnos. | A | rma
Iuppiter | I | bit in
is diuturnos | H | ostes
er sobolem det vt | P | ro patruo iure ibit in
Orbem. | O | mnes
Sol obit | S | aucius

effusædum | R | egninunc
xundant | E | rit
onec aquæ | D | efensor
uptis, | N | unc
nnue | A | dinstar
antho | X | erxis
x hilarans | E | ffert nuptus.
argè | L | ituum
ltigenis | A | udax se ad

INRAMIS INTEMPORE GERMINAVERINT.
Sapientiæ 4.

NAturæ socio, morus & æmula
Arbor populus in fædere compares
Frondescunt; acris hæmentis, edacishæ
Sunt tùm symbola temporis

Dum, ne algens Aquilo populeas comas
Peſſundet, glaciali labe factitet
Vel Mori paleam frigore : prouidæ
Certo in tempore germinant.
Sic palmis præeunt vberioribus
Sic plantas alias, vt minimas nimis
Procerè videas germine lentulo, in
Denſam aſſurgere ſyluulam.
Sic plantas validis nexibus arduas
In frondente pares cortice, vertice
Sic alto ſociare inſimul arbores
Secum fœdera contigit.
Virtute vt ſimilem, tùm meritis parem
Hanc pollere Domum Heroibus, vnico
In conſortio vtranq; euenit vnicum
In cor ſubdere plurimos!
Fallax terra prius decipiet ſuo
Partu ſedulum arantem, prius inquam equos
Sol magnos agitabit, citiusquè ver
Fallet garrula auis ſono,
Quam virtutis amans veſtra Domus (mori
Nusquàm digna Domus) ſortis honoribus
His priuabitur, exinde beatior
Vobis quæ ſit amænior.
Sic concordibus ambæ roſonant Ityn
Ales cantibus, vt vos duo ſurculi
Virtutum geminâ laude ſonatis, in
Spem frondendo ânimoſius.
Non vos Hydrus atrox, turbida non dies
Infeſtabit atros, vlla premet neque
Tam nymboſa querela, aſt radiabit in
Vos jucunda ſerenitas.
Pellucet probitas, grata modeſtia,
In veſtris animis, mens oculis nitet
Illa hæc prouida rerum, in dubiis viis
Seduci inſcia caſibus.

Vt Me

Vt Morus sapiens Populus vt virens
Vos hinc incolumes plantulæ amænulæ
Felices ter & hinc amplius aureis
Frondescetis amoribus
Quot frondes legit arbuscula pendulas
Vestro in nomine, tot vestra Dryas feret
Ex ramis Soboles tot dabit; assitas
Quot fert vimine litteras.
Quod si pro patriâ occumbere, vel DEi
Decreto, tenue vt concidit arborum
Auulsum folium, fors folij leues
Quis ramus subeat vices.
Vt quondam patulus denuo ramulus
Iunoni sacer accreuit, ita alter hic
Primo auulso aureus haud deficit, at viget
Par sub stipite Nobili.
Nam junxit Deus hoc fædere quos semel
Jam nusquam vltima disiunxerit hos dies
HIS ARBOR SVPERVM HAEC EST SACRA : QVI LEGIS
LAEVO TANGE SOLVM GENV.
Dic mî Sponse diu dent tibi cælites
Vt plenus meritis sydera visites,
Postquam Mathusalem sæcula vixeris
Te album vertice videris.
Dic mî sponsula Bethlemiacas Magos
Sydus duxit ad ædes, regat & tuum
Cursum, qui generat nos precibus Deo
Sydus Kostkulus aureum.
Viuant ambo diu Kostkule coniuges
Fac patres videant progeniem senem,
Hæc patres, sibi fac cuncti oculos, mori
Claudant serò volentibus.